

## PUNCTUM VII.

## De Confessario Pœnitentis accedentis cum conscientia erronea.

46. Inq. Qualiter se gerere debeat Confessor cum illo, qui conscientia erronea laborat. R. 1. Quod si ignorantia sit vincibilis, certum est apud omnes teneri Confessarium veritatem manifestare pœnitenti, antequam illi impendat absolutionem; quia cum illa conscientia non excuset a culpa, quandiu illa laborat, erit in statu peccati mortalis, consequenterque incapax absolutionis.

47. R. 2. Quod si ignorantia sit invincibilis, licet apud Authores etiam graves non parvum reperitur dissidium; probabilius tamen iudicamus debere Confessarium aperire veritatem, monendo illum in doctrina sana, ad evitandum omnem peccatum etiam materiale, si velit pœnitentem absolvere. Nam vel Confessarius cognoscendo errorem invincibilem pœnitentis, iudicat admonitionem suam profuturam, vel nocituram; sed in quocumque eventu tenetur Confessarius aperire veritatem; erg. semper tenetur ex suppositione absolutionis. Prob. min. Quia si iudicat profuturam admonitionem, apud omnes est certum, debere illum admonere: si autem iudicat nocituram, non potest prudenter iudicare de sufficienti dispositione pœnitentis: erg. non potest illum absolvi. Prob. min. Quia ut Confessarius prudenter iudicet pœnitentem accedere recte dispositum, necessario requiritur iudicium de eo, quod pœnitens velit scire, & adimplere legem, seu obligationem sibi propositam a Confessario: erg. si hæc voluntas deficiat, non potest Confessarius efformare iudicium prudens de recta dispositione pœnitentis: erg. non potest illum absolvi.

48. Ex quo inferitur, quod Confessarius tenetur monere intra confessionem suos pœnitentes sine discrimine, & acceptione personarum, de restitutione pecunie, fame, & honoris, de contractu simoniaco, vel usurario, de impedimentis matrimonii caute, & de omnibus illis, quæ scire, & facere tenentur pro qualitate sui status, muneris, & dignitatis,

priusquam illis absolutionem impendat.

49. Objic. 1. Præceptum correctionis fraternæ non obligat, dum nullus expectatur fructus; immo tacere debemus, si ex correctione auferentur peccata: erg. idem tenetur facere Confessarius, si timet eundem effectum ex sua admonitione. R. neg. conseq. Quia inter forum externum, & internum magna adest disparitas: quapropter Parochus, Pastor, & Confessarius plura in foro exteriori dissimulare possunt, dum majora prævident incommoda ex admonitione secutura, vel nullum profectum sperant; Confessarius vero sedens pro tribunali, audiens confessionem, munus Iudicis, & Magistri exercet, cui incumbit instruere pœnitentem, causam agnoscere, & sententiam ferre, ut debite suo muneri satisfaciat: quod minime compatitur cum dissimulatione.

50. Objic. 2. Potest accidere casus, in quo Confessarius debeat dissimulare, & absolutionem impertiri: ergo in aliquo eventu tenetur Confessarius non admonere pœnitentem, & illum absolvi. Prob. antec. Accedit femina, quæ invalide contraxit matrimonium ob impedimentum dirimens, ortum ex copula cum consanguineo mariti in primo, aut secundo gradu habita: agnoscit Confessarius nullitatem matrimonii, & ignorantiam invincibilem femine: si admoneat, certo timet secutura gravia inconvenientia, nempe interficiendam esse a marito, aut alia scandala: insuper urget necessitas suscipiendi sacramentum, & alias femina est in animi præparatione ad faciendum omne id, quod ex sua parte potest, & debet: erg. saltem in hoc casu debet Confessarius dissimulare, & absolvi pœnitentem.

51. R. Quod in hoc casu, qui raro accidere potest, dicitur prudentiæ virtus, quod Confessarius caute, & magna circumspectione procedat, ne ejus admonitione laqueum parat, & venenum pro medicina propinet. Unde in his angustiis monere non debet, sed illam absolvi, si paratam ex sua parte inveniat, & quamprimum possit dispensationem sollicitare, ut matrimonium perficiatur juxta modum, quem graviore Authores præscribunt. Si autem non urgeat præceptum confessionis, aut Confessarius timet prudenter, quod femina admonita de veritate, non servabit

bit continentiam, tunc differenda est etiam absolutio.

52. Nota pro claritate hujus doctrinæ quod semper ac est in potestate pœnitentis remedium ponere, ne tot mala sequantur, & a peccato abstinere; debet Confessarius aperire veritatem, ut in concubinariis, usurariis, simoniacis, in possessoribus rei alienæ, in non jejunantibus, & similibus. Si vero non sit in potestate pœnitentis vitare mala imminetia, & pericula, ut in casu proposito: tunc Confessarius debet non admonere, ne reus sit mali futuri. Et si urgeat præceptum confessionis, tunc absolvi poterit, si ceteræ adsint dispositiones, imposita pœnitentia, vel præcepto, ut determinato tempore redeat ad confitendum eodem cum Confessario, ut illuminetur, & dispensatio executioni mandetur.

## CAPUT II.

## De Conscientia Probabili.

Sub conscientia probabili sermo nobis erit, etiam de Probabilismo, duobus præteritis sæculis adeo proclamato; sed jam ab Scholis fere eliminato, & partim juste proscripto.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; divisio conscientie probabili.

53. Inq. 1. Quid sit conscientia probabilis? R. Est dictamen practicum rationis, quo intellectus gravi fundamento iudicat hoc sibi licere, vel non licere. Differt ab opinione in eo, quod opinio versatur circa veritatem objecti, conscientia autem circa bonitatem operationis. Conveniunt tamen in ordine ad divisionem: quapropter quod dictum fuerit de divisione opinionis, applicari valet conscientiæ probabili.

54. Inq. 2. Quotplex sit opinio, seu probabilitas? Est multiplex. Nam primo dividitur opinio in probabilem ab intrinseco, & probabilem ab extrinseco. Illa est, quæ nititur ponderi rationum; ista vero, quæ habetur ex autoritate Doctorum. Secundo dividitur in probabilem, probabilior, & leviter probabilem. Probabilis est, quæ gravi nititur fundamento. Probabi-

lior, quæ graviori ratione fulcitur. Leviter probabilis, quæ levibus innitur rationibus. Insuper dividitur in practicam, & speculativem. Practica est, quæ respicit bonitatem operationis attentis circumstantiis, & bene perpensis. Speculativa vero, quæ iudicat de objecto secundum se, & præcisive a circumstantiis. Dividitur etiam in tutam, tutiorem, & minus tutam. Opinio tuta est, qua quis licite operatur. Tutior potest tripliciter sumi: vel absolute, comparative, aut adversative. Tutior absolute idem est ac tuta, de qua immediate diximus. Tutior comparative est, quæ propinquo est observationi legis. Ut recitare Matutinum ante Missam tutior est, quam ejus omissio; licet celebratio ante Matutinum tuta sit, vel immunis a peccato lethali, Tutior adversative est, quando opinio opposita non est tuta. Ut in verbis Apostoli 1. ad Corinth. 7. 9. Melius est nubere, quam uri. Ubi ly melius intelligitur adversative: quia uri non est bonum, sed potius malum. Unde opinio tutior in hoc sensu appellatur, in qua nulla transgressio esse potest, etiam materialis; opposita vero ejus minus tuta appellatur, in qua potest dari transgressio, saltem materialis, & ideo non est tuta.

55. Datur etiam opinio tutior a falsitate, & tutior a peccato: tutior a falsitate est opinio probabilior: tutior a peccato est opinio securior: ut opinio adstruens necessitatem contritionis perfectæ ad sacramentum Pœnitentiæ est tutior a peccato: at ejus contraria est tutior a falsitate, quia longe probabilior. Adest pariter opinio tutior extensive, & intensive, ut in dicto exemplo patet, prima enim opinio dici valet tutior extensive, at secunda dici potest tutior intensive, hoc est tuta absolute.

56. Inq. 2. An omnis opinio probabilis speculative sit probabilis practice? R. negat. Quia rationes, quæ possunt fundare opinionem speculative probabilem, multoties insufficientes sunt, ut reducat ad praxim, propter circumstantias, & incommoda, quæ hic, & nunc occurrere valent, ut appareat in opinione asserente omnia verba consecrationis Calicis non esse necessaria: quæ licet speculative sit probabilis, practice improbabilis est: quia circa valorem sacramentorum, non quod probabile est, sed quod in praxi tutius, sequi



qui debemus: Unde Innoc. XI. hanc propositionem primam damnavit. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravi damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in Collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

57. Inq. 3. Utrum opinio probabilior sit idem, ac tutior? R. neg. Quia utraque a diversis principiis oritur: opinio probabilior sumitur ex majori accessu ad veritatem, & a gravioribus fundamentis; opinio vero tutior ex majori recessu a periculo peccandi; tametsi rationibus firmioribus non muniatur. Unde multæ sunt opiniones probabiliores, quæ tutiores non sunt. Opinio, quæ docet diebus festis, integrum esse audiendum Sacrum sub lethali, tutior est; non probabilior. Et alia plures.

58. Inq. 4. Utrum autoritas unius Doctoris sufficiat, ut aliqua sententia probabilis sit? R. neg. Patet ex propositione 27. damnata ab Alex. VII. *Si liber sit aliquis junioris, & moderni debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet rejectam esse a Sede Apostolica.* Ratio est: quia ut opinio sit probabilis duplex principium probabilitatis concurrere debet, scilicet, ratio, & autoritas; sed sententia, quæ ab uno fertur Authore, ratione, & autoritate regulariter caret; alias plures Patronos haberet: ergo non sufficit unus Doctor ad probabilitatem opinionis.

59. Non tamen damnatur in dicta propositione asserere, quod vir doctus firma ratione ductus potest facere sententiam practice probabilem, quando talis doctrina nondum fuit ventilata, neque communi sensui Doctorum opponitur: maxime si fuerit Doctor adeo celebris, ut ejus sola autoritas multorum rationibus preferatur: qualis est N. Doctor Angelicus, qui unus, pro decem millibus computatur ab eodem Alex. VII.

60. Insuper autoritas Parochi, aut Confessarii, vel alterius similis sufficiens est, ut rudes, & imperiti efforment conscientiam practice probabilem circa operationes regulariter occurrentes, de quibus sincere instrui cupiunt. Idem dicendum est de puero Patrem interrogante,

dum nequit adire Parochum, vel Confessarium, quæ potest tuta conscientia sequi consilium Parentis: non quia Parochus, vel pater efficiant opinionem practice probabilem simpliciter, & absolute talem, aut respectu universalitatis; sed solum secundum quid, & respectu ad aliquem particularem idiotam.

## PUNCTUM II.

*An liceat sequi opinionem probabilem.*

61. R. 1. Posse quemlibet, dum tenetur operari, sequi licite sententiam practice probabilem: quando facta sufficienti diligentia, pro parte opposita alia probabilior, vel tutior non apparet: quia in moralibus non semper est possibile habere certitudinem perfectam, & mathematicam, sed sufficit certitudo moralis de bonitate actionis; sed hæc habetur per opinionem practice probabilem, dum ex opposito alia probabilior, & tutior non adest: ergo cum hujusmodi opinio potest quilibet licite operari. Unde Alexand. VIII. inter 31. propositiones proscriptas hanc n. 3. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* Oppositum docentes dicuntur *Rigoristæ*, & eorum systema appellatur *Rigorismus*.

62. R. 2. Posse licite amplecti sententiam probabilior, quæ favet libertati, relicta tutiori minus probabili, quæ favet legi; v. g. Sententia asserens lapsum in peccatum mortale, habita copia Confessarii, teneri sub præcepto statim confiteri, tutior abs dubio est; sed quia opinio opposita est probabilior, potest quilibet licite illam amplecti: quia homo non semper tenetur eligere id, quod a periculo peccandi magis recedit, si non sit consonum rationi, & veritati, ut patet in exemplo apposito: ergo potest homo sequi sententiam probabilior, quæ favet libertati, relicta tutiori, quæ favet legi. Contrarium tenentes nuncupantur *Tutoristæ*.

63. Objic. 1. In dubiis tutior pars est eligenda, juxta regulam sæpe repetitam in jure: sed quamvis opinio favens libertati sit probabilior, non tollit periculum; cum opposita tutior sit: ergo hæc, & non illa eligi debet.

64. R. Quod dupliciter potest aliqua opinio esse tutior, ut supra diximus, nimirum tutior a peccato materiali, & tutior a falsitate: opinio vero probabilior est tutior a falsitate, quia est verosimilior, & magis propinqua veritati; licet non sit tutior a peccato materiali. Dum ergo possibile fuerit, eligenda est opinio, quæ tutior sit ab utroque extremo: interdum autem sufficit eligi tutior a falsitate, & regula illa juris *tutior pars est eligenda*, explicanda est per hanc aliam: *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius*: quod autem probabilius est, utique verosimilius est. In his ergo questionibus quod primo loco intellectus querit, est veritas; quod verum est, tutum est, & quod est verius, tutius quoque est in his, quæ sunt necessaria necessitate præcepti. Inter duas autem propositiones tutas, non semper tenetur eligere tutiorem, hoc enim consilium est, non præceptum. Ad id, quod subditur, respondetur: periculum esse remotum, quod vitare non tenetur. Nec hoc applicari potest in defensione probabilissimi, ut ex infra dicendis palam fiet.

65. Objic. 2. D. Aug. relatus in Cap. *Si quis autem de penis. dist. 7.* inquit: *Tene certum, dimitte incertum.* Et pene idem docet lib. contra Donatum cap. 3. per hæc verba: *Efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est*; sed omnis opinio licet probabilior secum affert incertitudinem peccati, maxime in conspectu tutioris: ergo non potest sequi.

66. R. disting. minor. Omnis opinio affert incertitudinem levem conced. min. gravem neg. min. Pro cuius luce, triplex certitudo distinguenda est: nempe Phisica, Metaphisica, & Moralis, Phisica est, quæ experimento nititur, vel evincitur argumentis, quæ rem naturaliter aliter se habere non posse; demonstrant. Metaphisica est, quæ rationibus adeo evidentibus fulcitur, et veritatem ita firmam esse ostendit, ut neque divina virtute aliter se habere queat. Moralis certitudo est, quæ motivis fallibilibus nititur: & est duplex: altera, quæ fides humana appellatur, ut esse Romam, & Hierosolymam: hæc certitudo moralis omnem formidinem prorsus excludit. Alia autem est certitudo moralis, quæ conjecturis, & rationibus talibus nititur, quæ hominem securum reddunt,

Tom. I.

& anxietatem excludunt, non tamen omnem formidinem expellunt. Et hæc certitudo moralis est propria opinionis.

67. Hæc igitur certitudo excludit periculum non Logicum, aut Metaphisicum, sed Morale, admittit vero formidinem levem. Ex quibus patet claritas distinctionis. Non enim quælibet opinio, nec quælibet certitudo movet intellectum, aut sufficit pro regimine conscientie, sed opinio gravi fundamento nixa, quæque certitudinem affert probabilem, seu moralem, excludentem omnem gravem incertitudinem: Quare sententia D. Augustini intelligenda est juxta materiam diversitatem. Utique in salutis negotio certa incertis omnino præferenda absolute sunt. Cæterum non hinc sequitur, quod in omnibus actionibus metaphisicam certitudinem habere debeamus, cum hæc sæpe haberi nequeat. Eam ergo certitudinem assequi debemus, quam materiae coaditio fert, & eam amplecti securitatem, quæ possibilis est humana imbecillitati. Securiorem vero, tutioremque partem eligere in omnibus actionibus, onus est supra humanam conditionem.

PUNCTUM III.  
*De Probabilismo.*

68. Inq. 1. Quid sit probabilismus? R. Est: *Systema docens usum licitum opinionis æque, vel minus probabilis in favorem libertatis relicta opposita æque, vel magis probabilis in favorem legis.* Probabilismus enim non est opinio utrumque, sed electio opinionis laxioris, minus tute, & probabilis; ex quo bene perpenso satis innotescit ejus inanitas, & seditas. Quæ ratione tamquam filius nothus caret certo Patre: quidam enim illum tribuunt Medicæ Dominicæ, quidam Terillo Jesuitæ, & quidam alteri incognito Genitori. Eadem incertitudine laborat tempus, quo in lucem prodit, seu in Scholas invehitur est. Alii quippe ejus ortum putant fuisse circa annum 1577. Alii prius, alii posteriori illam assignant.

69. Nota autem aliud esse operari eum opinione probabilis, aliud longe diversum operari juxta probabilissimum. Primum est proprium hominum, quia opinione, potius, quam evidentiæ regimur, & gubemur



namur, quod etiam aliquando Angelis, & ipsi Regina Angelorum accidisse satis colligitur ex *Daniel*. 10. ubi legitur, quod Angelus Persarum non parum restitit Angelo populi Dei; & *Lucæ* 2. ubi habetur fuerum Jesum remansisse in Jerusalem beatissima Virgine per rationes probabilis prudenter iudicante, illum cum aliis incedere, existimantes autem illum esse in comitatu. Unde opinio probabilis ab initio mundi suam trahit originem, minime vero probabilismus, ut ejus Patroni intendunt.

70. Inq. 2. An probabilismus sit ab Ecclesia proscriptus? R. Non esse universaliter proscriptum: quia Ecclesia maxime circumspectione procedit in damnatione propositionum universalium, quæ non ad fidem, sed ad mores spectant. At partim proscriptus est, ut patet ex 45. propositionibus damnatis ab Alex. VII. & 65. ab Innoc. XI. ex quibus licet non omnes, saltem plures sunt fidei legitimæ probabilismi. Et novissime a Clem. XIII. proscriptæ fuerunt an. 1761. decem theses, seu conclusiones in favorem probabilismi ab ejus sequacibus inepte publicatæ. Igitur quamvis Ecclesia adhuc ultimam sententiam non protulerit contra probabilismum; satis tamen ostendit se illum semper detestari, & improbare. Verum est non fuisse damnatas singulas dictas theses in particulari, sed respective, & acervatim.

71. Inq. 3. An possit amplecti opinio minus probabilis in favorem libertatis, quando adest alia opposita probabilior contraria? R. neg. Hæc resolutio est conformior spiritui Ecclesie, consentanea- que Sacris Canonibus; qui passim docent, in dubiis viam tutiorem esse eligendam: semper tenendum esse, quod securius, & certius est. *Cap. Juvenis de Spons.*, & *Cap. ad Audientiam de homic.* *Cap. Significasti* 2. eod. tit. & alibi sæpe. Est doctrina propria SS. PP. ut patet ex *Chrisostomo Hom. 44. in Matth.* D. August. *lib. 1. contra Academicos cap. 4.* D. Th. loco proxime laudato, & 3. p. 4. 83. art. 6. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quod ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo.*

72. Prob. rat. Nam ut conscientia sit regula recta operandi, debet efformare

judicium moraliter certum de honestate operationis; sed qui opinionem sequitur minus probabilem, & minus tutam in concursu probabilioris, & tutioris, non potest efformare tale iudicium: ergo hujusmodi opinio non potest licite amplecti; sed probabilior, & tutior amplectenda est. Prob. min. Iudicium moraliter certum nequit haberi, dum adest timor prudens, & rationalis de malitia operationis; sed in operante cum opinione minus probabilis, & minus tuta adest, vel debet adesse timor prudens, & rationalis de malitia operationis: quia solidiora fundamenta opinionis probabilioris, & tutioris illum necessario astrunt: ergo qui sequitur opinionem minus probabilem, & minus tutam nequit efformare iudicium prudens de honestate operationis, & consequenter nequit illam amplecti in concursu probabilioris, & tutioris.

73. Confirm. 1. Qui sincere querit veritatem, & nequit illam evidenter invenire, debet amplecti illud, quod proximus est veritati, & bonitati; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, & minus tutam in conspectu probabilioris, & tutioris non amplectitur, quod proximus est veritati, & bonitati, ut ex se patet: ergo illicitum est operari cum tali opinione.

74. Confirm. 2. Qui relicta opinione probabiliori, & tutiori, sequitur minus probabilem, & minus tutam exponitur manifesto periculo peccandi: sicut manifeste to mortis periculo se committit, qui vescitur cibis, quos probabilius iudicat esse veneno infectos, ubi salutare occurrunt: ergo hujusmodi opinio non potest licite amplecti.

75. Inq. 4. An in concursu duplicis opinionis æque probabilis liceat complecti, quæ favet libertati, relicta altera, quæ favet legi? R. neg. prob. ex *cap. Juvenis de spons.* ubi dicitur: *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*; sed stante duplici opinione æque probabilis, dubium est, quænam sit vera: ergo quæ favet legi, & non alia favens libertati amplectenda est: *Confirm.* quælibet operatio in moralibus, quantum possibile sit, debet recedere a falsitate, & a malitia, seu peccato; sed utraque opinio æque probabilis, licet æque recedat a falsitate, non æqualiter recedit a peccato,

to, ut ex se patet, cum illa, quæ legi favet, sit proximior observantia legis: ergo ista, & non illa amplectenda est. Hæc est doctrina genuina sæpe tradita a D. Thom. præcipue *Quodlib. 8. q. 6. art. 13.*

76. Diluuntur argumenta contraria.

76. Objic. 1. Qui probabiliter operatur, prudenter operatur; sed qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, probabiliter operatur: ergo talis prudenter operatur: ergo licitum erit, sequi talem opinionem. Prob. min. Opinio minus probabilis etiam in concursu probabilioris gravibus nititur fundamentis, gravique fulcitur autoritate Doctorum: ergo probabilis est. Sicut aurum inferioris qualitatis est verum aurum etiam in concursu auri melioris, aut purioris.

77. R. neg. maj. Quia tunc est verum, quod qui probabiliter operatur, prudenter operatur, quando non adest alia opinio æque, vel imago probabilis in favorem legis, hæc enim concurrente imprudenter operatur, qui juxta æque, vel minus probabilem in favorem libertatis operatur; exponit namque se periculo fractionis legis, immo minor est falsa, quando altera opinio est longe probabilior: tunc enim fundamenta opinionis minus probabilis eliduntur per opposita longe probabiliora, & amittunt pondus, quod alias in eis apparebat, nec remanet vere probabilis. Uno verbo: quomodo potes operari prudenter agnoscens fundamenta æque, vel graviora, quibus iudicas talem operationem esse illicitam, aut contra legem?

78. Nec juvat in oppositum paritas auri inferioris qualitatis, quod in concursu auri purioris non desinit esse aurum. Nam certum est utrumque aurum esse: at duplex opinio opposita nequit utraque esse aurum, ut ex se patet. Unde cum una ex illis necessario sit falsa, solum operatur prudenter ille, qui veriolem, seu ratione meliori fulcitam sibi eligit, sicut in concursu veri, & falsi auri solum ille prudenter operatur, dum ignorat, quale sit verum, qui eligit, quod verosimilius sit aurum.

79. Objic. 2. Lex non sufficienter promulgata non obligat; sed dum adsunt opi-

niones probabiliter suadentes operationem minus tutam esse licitam, lex non est sufficienter promulgata: ergo non obligat. R. neg. minor. Supponimus enim adesse opinionem probabiliter existentia legis. Quomodo autem est possibile tibi legem non esse sufficienter promulgatam, aut haberi ignorantiam ejus, quando tu ipse iudicas probabiliter esse, quod existat? Unde licet DD. disputent de existentia legis, si tamen affirmant, & tu cum eis sentias, probabiliter esse, quod extet, inexcusabilis manes.

80. Objic. 2. Si semper debet sequi opinio probabilior, & tutior, grave onus imponeretur hominibus contra illa verba Christi Domini: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. *Matth. 11.* ergo non datur obligatio amplectendi talem opinionem. Prob. ant. Nam valde difficile est, etiam apud Doctos discernere, quæ opinio sit probabilior, cum sæpe videamus Doctores Doctoribus opponi: ergo onus valde grave imponeretur hominibus, si semper, quæ probabiliora sunt, deberent sequi.

81. R. Nos non asserere semper quærendam esse opinionem vere probabiliorum, sed debere amplecti illam, quæ hic, & nunc verosimilior apparet; & hic est sensus questionis interrogantis, an in conspectu probabilioris possit amplecti opinio minus tuta, & minus probabilis. Supponendo aliam probabilem, alteram probabiliorum: præsertim cum rustici facile se possint expedire ab onere, interrogando Parochum, vel Confessarium. Non dicimus opiniones, dum urget operatio, statera esse ponderandas, ut probabilior eligatur, sed eligi debere quæ probabilior apparet.

## PUNCTUM IV.

De opinione a Confessario eligenda in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

82. Inq. 1. An Confessarius valeat ministrare Sacramentum Pœnitentiæ cum opinione tantum probabilis suæ approbationis, aut jurisdictionis? Non posse extra casum necessitatis: quia absque necessitate exponeret Sacramentum periculo nullitatis; sed



sed hoc est prorsus illicitum : erg. non potest. Prob. maj. Quando jurisdictionis est tantum probabilis, sicut probabile est, quod illam habeat, ita etiam est probabile, quod illam non habeat: ergo exponitur Sacramentum periculo nullitatis.

83. Confirm. Nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.* Sc. : erg. cum de jurisdictione disputatur, agatur de re maxime spectante ad valorem Sacramenti, illicitum est uti jurisdictione tantum probabilis conferendo Sacramento Pœnitentiæ.

84. Obje. Hoc ipso, quod jurisdictionis sit probabilis, est certa; sed cum jurisdictione certa licitum est absolvere, cum Sacramento nulli periculo exponatur: ergo licitum est uti opinione probabilis jurisdictionis. Prob. maj. Quia juxta plures, & graves Authores quando quis absolvit cum jurisdictione probabilis, & datur error communis, Ecclesia supplet defectum jurisdictionis: erg. tunc est certa jurisdictionis.

85. R. Tunc ad summum dari jurisdictionem probabiliter certam, & in opinione illorum Doctorum; sed quia ex alia parte adsunt gravissimi Theologi negantes illam certitudinem, remanet Sacramentum cum valore tantum probabilis, & expositum nullitati, & hoc est, quod damnatur ab Innocentio. Nec Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, quando solum est error communis sine titulo colorato. Nec aliud constat in Sacris Canonibus, ubi duo præcise exiguntur, scilicet error communis, & titulus coloratus.

86. Diximus cum opinione tantum probabilis; si enim adsit probabilior pro jurisdictione, tunc poterit Confessarius illam exercere: ut patet in delegato, qui mortuo delegante, cum opinione probabiliori, quod non expirat jurisdictione delegata, eam exercere licite valet.

87. Inq. 2. An Confessarius possit se conformare cum pœnitentis opinione, quando hæc sibi apparet minus probabilis? R. neg. Quia talis opinio nequit licite amplecti a pœnitente, ut supra diximus: ergo nec a Confessario. Nec potest Confessarius ob eandem rationem se conformare cum opinione pœnitentis æque probabilis in favorem libertatis in concursu alterius æque

probabilis in favorem legis. Solum ergo dum pœnitens vere doctior esset Confessario, affirmaretque sincere suam opinionem probabiliorē absolute, & communiter haberi opinione Confessarii, posset hic deponendo rationabiliter suam opinionem se conformare cum opinione pœnitentis, & illum absolvere.

88. Notet autem Confessarius, dum excipit confessiones, ne sit nimis anxius pro eligendis opinionibus, præsertim dum pœnitentes bona fide accedunt, ibi enim haud facile est discernere, quæ opinio probabilior sit: & ideo per prius debet se disponere acriter, diligentique studio Moralis Theologiæ, ut facile ibi se expediat ab angustiis, & difficultatibus occurrentibus. Debet igitur Confessarius sedulo vacare gravioribus Authoribus, ut possit eligere opinionem probabiliorē, & sanam doctrinam suis ovis tradere, viamque Dei in veritate docere. *Nam si cæcus cæcum ducat ambo in foveam cadunt;* uti legitur in Evang.

P U N C T U S V.

Quam opinionem eligere debeant Judex, Advocatus, & Medicus?

89. Dicendum est 1. Judicem non posse in Civilibus sententiam ferre juxta opinionem minus probabilem: constat ex propositione 2. damnata ab Innocentio XI. *Probabiliter judico, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Igitur Judex tenetur amplecti in judicando sententiam probabiliorē. Et probatur ratione: quia Judex tenetur reddere unicuique secundum merita causæ: erg. debet judicare pro meliori causa, & probabiliori opinione.

90. Similiter est certum non posse Judicem accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius partis, quando jura sunt æqualia, ut patet ex propositione 26. damnata ab Alexandro VII. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Debet itaque Judex, quando jura sunt paria rem inter partes dividere, si a nullo possideatur. Si autem divisibilis non sit, debet partes componere prudentiori modo,

do, quo jura exigunt, ita ut nulla detrimentum patiat. Ratio omnium est, quia Judex ex officio tenetur jura partium illata servare, & reddere unicuique secundum merita juris, alias justitia esset venalis, & arbitraria, & maxima damna Republicæ promanarent.

91. Dicendum est 2. Advocatum non posse defendere causam civilem secundum opinionem minus probabilem cognitam, ut talem, relicta probabiliori. Prob. ration. Judex nequit proferre sententiam, nisi secundum opinionem probabiliorē: erg. Advocatus non potest defendere causam, nisi probabiliorē. Prob. conseq. Quia indubitabile est, Advocatum patrocinantem causam cooperari sententiæ Judicis: ad hunc enim finem ordinantur ejus allegata: ergo si Judex non potest ferre sententiam, nisi secundum opinionem probabiliorē, ut certum est, neque Advocatus potest defendere causam, nisi probabiliorē.

92. Dicere autem Clientem, & Advocatum habere jus ad exponenda Judici sua fundamenta, est futile effugium: nam licet habeant jus, ad id faciendum extrajudicialiter; non vero in judicio cum maximo damno, & præjudicio partis oppositæ, & aliquando Clientis ignorantis, quorum damnis cooperatur Advocatus, ut expresse dicit D. Thom. 22. q. 71. art. 3. in corp. Ubi resolvit Advocatum teneri ad restitutionem, quando defendit causam injustam, eo quod suo consilio, & patrocinio cooperatur ad illam. *Manifestum est autem,* inquit, *quod Advocatus auxilium, & consilium præstat ei, cujus causam patrocinatur:* erg. juxta D. Thom. Idem est patrocinari causam, ac præstare auxilium, & consilium.

93. Tenetur ergo Advocatus non admittere indiscriminatim causas, ut quidam assolent, sed illas tantum, de quibus habet certitudinem moralem, vel opinionem probabiliorē, non dubias, aut levi fundamento munitas, ex quibus plurima odia, & dispendia oriuntur, quorumque causa moralis est, si suos Clientes certos non faciat de meritis sui juris, & de stylo assuetu Tribunalium. Si jura sint paria, & nullus possidet, valet Advocatus monita parte de periculo causam defendere.

94. Dicendum est 3. In causis criminalibus posse Judicem, & Advocatum patrocinari causam secundum opinionem minus probabilem in favorem rei, maxime in causa sanguinis: prob. ex Regul. 11. de Regul. Jur. in 6. *Cum sunt jura partium obscura: reo potius favendum est, quam Actori.* Sed cum adest opinio, & si minus probabilis, jura obscura sunt: ergo talis causa potest patrocinari. Ratio etiam id suadet: quia ad proferendam sententiam capitalem probationes debent esse luce clariores, *ex text. in G. sociat. codic. de Probation.* Sed tales non sunt, quando circa causam militat sententiæ probabiles contrariæ: erg. licebit tunc proferre sententiam, & consequenter patrocinari causam, secundum opinionem minus probabilem.

95. Dicendum est 4. Non posse Medicum applicare medicamentum minus probabile, relicto probabiliori, & esse homicidii reum, si mors inde ægroto sequatur. Probatur ratione: Nam omnis homo, ut prudenter operetur, debet eligere opinionem probabiliorē: erg. potiori jure Medicus. Prob. conseq. Tum quia ex visui officii tenetur providere meliori modo, quo possit, saluti infirmi, & vitare mortis periculum, quod non faceret utendo medicina minus probabili, relicta probabiliori. Tum quia ex positione talis medicinæ sequitur, vel sequi potest, infirmo grave damnum, & in omnium sententia, dum imminet damnum tertii, non potest amplecti opinio minus probabilis, relicta probabiliori.

96. Communis est etiam sententia, docens teneri Medicum applicare infirmo medicamentum certum, relicto incerto: quia charitas, & justitia hoc exigunt, ut prospiciatur proximorum saluti certiori medicina, si adsit; si vero non adsit certa, poterit, & tenetur applicare probabilia, quæ nocitura minime sint. Quia tunc non exponit infirmum periculo: sed potius probabilis Spei salutis: & licitum est uti opinione probabilis, quando alia in oppositum non adest. Non autem est licitum causa experiendi medicinam, an salutaris, vel nociva sit, illam ægrotis conferre: de quorum salute desperatur; quia non est licitum experimentum querere, & scientiam acquirere cum periculo mortis alterius. Et hoc verum est, licet non adsit remedium probabile.



babile ad salutem infirmi; quia tali casu tutius est relinquere ægrotum naturæ, & creatori, quam exponere illum medicinæ de qua ignoratur, vel dubitatur an pro futura, vel nocitura sit, vel possit mortem accelerare. Si Medicus indulget periculis hoc non est curare, sed si volunt dicere verum, occidere, ut dicitur in Can. Absit Dist. 30.

§§.

## Corollaria præcedentis doctrinæ.

97. Ex dictis sequitur 1. Illicitum esse sequi opinionem tenue probabilem, vel probabiliter probabilem: extra casum gravis necessitatis, sive extremæ. Quod constat ex propositione 3. proscripta ab Innocentio XI. nempe: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

98. Sequitur 2. Non posse universaliter amplecti illud proloquium: *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur.* Nam ut prudenter quis operetur, non probabiliter utrumque, sed certitudine morali de honestate suæ actionis debet operari: vel quia opinione probabiliori, vel tutiori, vel sola, & unica probabili movetur. Ex quo etiam patet non posse eligi, vel simul, vel divisive modo unam, modo alteram opinionem, licet quælibet appareat æqualis probabilitatis: quia hoc esset pro libito operari, & constituere suam voluntatem regulam operationis, facereque arbitriam pro suo velle Theolog. Moralem.

99. Sequitur 3. Non licere Theologo, vel Confessario consilium dare secundum opinionem minus probabilem, & minus tutam: quia Consiliator gerit vices Christi D. & debet loqui sermones Dei, & viam rectam edocere, ne ex illis sit, quos Apostolus indicat: *Prurientes auribus, 2. ad Timoth. 4.* Similiter illicitum est variis adire, Doctores, ea intentione, ut non quod probabilius est, sed quod sibi magis placet, consilient. Nam hoc esset imitari Balac, qui sæpius Balaam interpellavit, ut ab eo responsum

acciperet juxta depravati cordis concupiscentiam.

100. Sequitur 4. Easdem opiniones, quas quis amplectetur in articulo mortis, debere amplecti in vita, licet articulus mortis aliquando variet casum Tum, quia eadem est lex pro articulo mortis, eademque regula morum, ac pro decursu vite. Tum quia eadem obligatio datur vitandi peccatum extra, ac intra periculum mortis: ergo easdem opiniones sequi debemus in vita, ac in morte. Diximus *Articulum mortis variare casum:* non quia sit diversa obligatio legis: pro tunc, sed quia in illa hora respicitur lex distincto aspectu: & hic est sensus legitimus responsi S. M. N. Theresiæ, quæ consultata a P. Gratiano: *Utrum offensum in hora mortis teneatur reconciliari offensum? inter alia respondit. hæc aurea verba: tom. 2. epist. 36. n. 2. Quanto alias contendas, que dice de las opiniones, me he holgado, que V. P. baya sustentado lo mejor. Que aunque esos Padres ternan bastantes razones; mas terrible cosa es aquella hora, no hacer lo mas seguro. Ac si diceret: quod licet, offensum propter dolorem imminet, & imbecillitatem humanam non teneatur illico ad admitendam externam reconciliationem in vita, nec tunc opportunum esset proponere illi: At in illa hora, quæ est ultima vite, terribile est, non facere quod securius. Propter eandem rationem confessio per Interpretem, quæ non jubetur præcepto Divino, nec Ecclesiastico debet fieri in articulo mortis ex præcepto propriæ charitatis. Et his similia, quæ pro illo articulo obligant, alias non obligantur.*

## CAPUT III.

## De Conscientia Dubia, &amp; Scrupulosa.

**P**Lura, quæ ad conscientiam dubiam attinent in suis locis, opportunè tradentur; propterea in præsentia pauca prælibabimus.

PUNC.

## PUNCTUM I.

## De Natura, &amp; Divisione Conscientiæ Dubiæ.

101. Inq. 1. Quid sit conscientia dubia? R. est, *quæ perpensis rationibus utriusque partis anceps remanet, & nulli adhæret.* Sic definitur conscientia dubia objective, quatenus intellectus suspensus manet circa objectum, seu rem, de qua dubitatur. Subjective enim non datur proprie conscientia dubia, quia conscientia est iudicium præcticum rationis; ideo solum lato modo queit subjective appellari conscientia dubia.

102. Dubium accipitur dupliciter: uno modo communiter pro omni cognitione non certa, & sic opinio, quæ formidabilem habet partis oppositæ, includit dubium. Secundo accipitur dubium magis strictè pro cognitione omnino incipiti ad utramque partem, quod contingit ex defectu scientiæ, & mediis sufficientibus ad veritatem inveniendam, & propter hoc non fuit in Christo Domino, ut inquit D. Th. 3. p. q. 18. art. 4. ad 1.

103. Inq. 2. Quotplex sit dubium? R. Quod solet a pluribus dividi dubium in *positivum, & negativum.* Positivum est, quando pro utraque parte æquales rationes dubitandi occurrunt. Negativum vocant, dum nulla se offert dubitandi ratio. Sed revera in hoc casu potius ignorantia, seu nescientia, quam dubium appellari debet. Neque enim dubio sint ne sydera paria, vel imparia, sed penitus ignoro, vel nescio.

104. Dubium ergo Positivum, quod verum dubium est, dividitur in *Dubium juris, & Dubium facti.* Dubium juris versatur circa jus, vel legem, ut cum dubitas, an sit lex, vel præceptum jejunii tali die. Dubium facti est, cum dubitatur utrum aliquid sit factum: v. g. si tali die jejunasti, recitasti, aut solvisti debitum.

105. Deinde dividitur dubium in *speculativum, & practicum.* Speculativum est dubitare in communi, an liceat hoc, vel aliud agere v. g. Utrum liceat in die festo pingere. Practicum est dubitare de hac operatione in particulari, an liceat

hic, & nunc v. g. An liceat mihi hoc die festo pingere. Dum quis dubitat, an liceat pingere, aut irregularitatem, est dubium speculativum. Deinde dubitare utrum liceat illi celebrare, est dubium practicum. Aliqui videntur confundere dubium cum opinione probabilis, sed distinctione utendum est. Nam si loquamur de opinione, ut sic, sine dubio discriminetur, siquidem per opinionem assensus uni parti præstatur; in dubio vero manet iudicium anceps, & suspensum inter assensum, & dissensum. Si autem loquamur dum adsunt duæ opiniones æque probabiles circa idem objectum, tunc datur dubium positivum, quia intellectus manet pendulus, propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem. Et ista est dubitantis dispositio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis. Sunt verba D. Thom. q. 14. de Verit. art. 1.

## PUNCTUM II.

## Quomodo se gerere debeat, qui laborat Conscientia Dubia?

106. Dicendum est 1. Quod stante dubio speculativo de lege, vel de honestate actionis potest quis licite operari, deponendo illud: quia compatibile est rectum, & practicum iudicium de honestate operationis cum dubio speculativo; siquidem istud versatur circa objectum in communi, illud autem circa operationem in particulari: ut patet in Milite subdito, dubitante de justitia belli, qui tamen practice potest, & debet formare iudicium practicum, quod sibi liceat, & teneatur obedire Principi imperanti, cui incumbit prospicere de justitia belli: per quod prudenter deponitur dubium illud speculativum.

107. Dicendum est 2. Quod operari ex conscientia practice dubia est peccatum ejusdem speciei, & qualitatis, quale est dubium, sive lethale, sive veniale: ut si dubius de hodierno jejuniis, illud frangit, committit idem peccatum, ac si sciens, & volens illud frangeret. Dubius de mendacio, proferens illud, si absque præjudicio sit, leviter peccat, eo modo ac si sciens mentiretur.



108. Prob. ration. Ad operandum licite debet cognosci bonitas objecti, sed qui dubitat, non cognoscit bonitatem objecti, circa quod operatur: erg. operari cum dubio practico est peccatum.

Confirm. Ad male operandum sufficit cognoscere sub dubio malum, quod operatur, operans cum dubio legem Dei contemnit, cum interpretative faciat hunc actum: *Hoc volo facere, sive sit contra legem Dei, sive non*; sed ita operari cum virtuali divinæ legis contemptu est peccatum: erg. operari cum conscientia practice dubia peccatum est.

109. Inq. Quomodo deponenda sit conscientia dubia, ut licite operemur? R. Quod ad conscientiam dubiam deponendam aliqua ratio gravis inquiri debet: pro illius autem assecutione sequentes quatuor regulæ diligenter sunt observandæ.

110. *Prima.* Animi sinceritas, desiderium, & studium ad veritatem comparandam: & tunc præsumitur adesse, quando non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, aut gloria Dei quaruntur. Contra autem veritas non sincere inquiritur, quando opinionis propriæ libertatis, & commodo faventes, illique Doctores nimis indulgentes consuluntur.

*Secunda.* Consideranda est materiæ gravitas, conditio personæ, circumstantia temporis, & effectus, etiam ex operatione secuturi, præ oculis habendi sunt. Nam juxta qualitatem materiæ major, aut minor diligentia adhibenda est. Neque omnes tenentur ad eandem.

*Tertia.* Satis est rusticis, & ignaris consuleri Parochum, Confessarium, vel pium virum ad deponenda sua dubia, quando nulla ratio solida occurrit de pravitatem operationis. Homo autem doctus debet consuleri Doctores, aut æquales: non vero tenetur adire omnes, sed quos alias in gravi negotio consuleret.

*Quarta.* Expectanda est circumstantia temporis; nam si urget negotium, & moram non patitur, tunc quod minus malum appareat, debet eligere; sed si utrumque extremum æqualiter proponitur, divino implorato auxilio, eligere debet actum, qui minus cupiditati favet, aut juri proximi favorabilior est. Aliqua igitur ex his regulis deponendum est du-

bium maxime practicum, priusquam quia operetur.

111. Si autem non urgeat operari debemus procedere juxta doctrinam D. Th. qui 1. 2. q. 96. art. 6. ad 2. dicit: *Si enim dubium sit, debet, vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.* Per quæ verba excluditur usus. Episcopi in casu obligationis dubiæ; licet possit habere locum, dum lex redditur nimis onerosa, aut contrarie deficit.

### PUNCTUM III.

#### De intelligentia regulæ:

#### Melior est conditio possidentis.

112. Inq. An ad deponendam conscientiam dubiam faveat illa regulæ: *Melior est conditio possidentis*? R. 1. Tenere dictam regulam in materia justitiæ pro foro externo; pro interno autem juxta quantitatem dubii, ut in tract. de præscriptione, & restitutione fusius patebit. Quod teneat pro foro externo, liquet ex regula 65. *de reg. jur. in pari causa potior est conditio possidentis.* Ratio id ipsum suadet, quia possessor habet duplex jus: aliud dubium proprietatis, aliud certum possessionis; sed duplex jus superat unicum jus dubii alterius: erg. in dubio potior est conditio possidentis.

113. Hanc regulam admittunt in præsentia absolute, pro materia justitiæ, etiam doctrinæ severioris Patroni, licet postea agentes de præscriptione, ac restitutione, illam restringant ad forum tantum externum, ita ut pro interno solum faveat pro rei medietate, vel juxta proportionem dubii.

114. R. 2. Dictam regulam non tenere ultra materiam justitiæ ad deponendam conscientiam dubiam in favorem libertatis. Prob. juxta Sacros Canones *cap. Dominus, de secund. nupt. cap. ad audientiam, & cap. significasti de homic.*, & aliis locis, *in dubiis pars tutior est eligenda*: erg. non tenet regulæ de possessione.

Idem docet D. Thom. in 4. *dist. 38. q. 1. ad 6.* ubi inquit: *Si dubitet quomodo se vendendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.*

115. Prob. rat. Qui in dubio legis non sequitur partem tutiorem, discrimini, vel periculo peccandi se exponit; sed qui se exponit periculo peccandi illicite, operatur: erg. illa regulæ: *Melior est conditio possidentis*, non deservit ultra materiam justitiæ ad deponendam conscientiam dubiam in favorem libertatis; sed potius altera: *In dubiis tutior pars est eligenda. Dixi in favorem libertatis*; nam in favorem legis semper abs dubio deservit.

### §. I.

#### Diluuntur argumenta contraria.

116. Objic. 1. Ideo in materia justitiæ tenet prædicta regulæ, quia dubitans est in possessione v. g. prædii; sed in aliis materiis dubitans de lege, aut voto, etiam est in possessione suæ libertatis: ergo si regulæ illa tenet in materia justitiæ, etiam in aliis materiis tenere debet.

117. R. dist. min. Dubitans de lege, aut voto est in possessione dubia suæ libertatis, Conc. min. Est in possessione certa, neg. min. & conseq. Nam in materia justitiæ non dubitatur de possessione, sed de proprietate, proindeque possessio certa est, & apud omnes nota, in materia autem aliarum virtutum dubitatur de possessione contra legem: nam idem est disputare, an detur lex, ac dubitare, an libertas possideat jus operandi: qua ratione si cum illo dubio operetur, exponitur periculo agendi contra legem.

118. Instabis: Utens titulo possessionis, etiam exponitur periculo violandæ justitiæ: privat enim dominium illum, ad quem forte prædium v. g. re ipsa pertinet; & nihilominus faveat illi titulus possessionis: erg. idem dicendum est in aliis materiis. R. Quod possessor in materia justitiæ nulli periculo, nec materiali violandæ dominium alterius exponitur: tum propter possessionem certam, & indubitatam, qua non gaudet, dubitans de lege. Tum quia proteggitur utroque jure Canonico, & Civili, & conservatur in sua possessione, & dominio: propter bonum enim commune Republicæ ad vitandas lites, & perturbationes, ne incerta manerent dominia rerum, per optime

stauerunt adjudicari proprietatem possessori, dum obscura, vel dubia sunt jura, ut contingit in præscriptione: quod non reperitur decrevisse in aliis materiis præter justitiam.

119. Objic. 2. Regulæ illa melior est conditio possidentis locum tenet in materia obedientiæ: erg. etiam in aliis materiis ultra justitiam. Prob. ant. Subditus tenetur obedire Superiori, cum dubitat de honestate præcepti; sed hoc non alia ratione, nisi quia Superior habet possessionem juris, ut sibi obediatur, quo in dubio privari non debet: erg. in materia obedientiæ tenet illa regulæ: erg. etiam in aliis materiis extra justitiam.

120. R. neg. min. Subditus enim non tenetur præcise obedire Superiori ex titulo possessionis; sed ratio formalis est auctoritas legitima, & potestas Prælati ad præcipiendum, qua propter subditum non debet in examen vocare mandatum Prælati, sed debet proprium iudicium eidem subicere: hæc est via tuta respectu subditi, facilis enim est subditos falli in iudicando Prælatorum mandata esse injusta, quam Prælatos in jubendo honesta. Si autem velis subditum teneri obedire Prælato ratione possessionis, potius probat dictam regulam admitti posse in aliis materiis, ultra justitiam in favorem legis, aut præcepti, quod libenter concedimus. Semper enim, ac datur simile dubium, lis est inter legem, & libertatem, inter Deum, & hominem. Unde cum potior debeat esse causa Dei, & legis; pro Deo, & lege ferenda est sententia, & supponenda possessio.

### §. II.

#### Corollaria.

121. Ex dictis sequitur 1. Quod illa regulæ *in dubiis tutior pars est eligenda* extra materiam justitiæ esse de præcepto: quia Sacri Canones verbis præceptivis utuntur, dum illam exprimunt, penam gravem imponunt iis, qui tali regulæ non obtemperant: ut patet *ex cap. illud de Cleric. excom. minist.* Ubi jubetur deponi Episcopus, qui in dubio, an esset excommunicatus, a sacris non abstinuit.



122. Sequitur 2. Quod dubitans de lege, præcepto, aut voto, vel de potestate Prælati, & similibus, debet adimplere, nisi dubium deponere possit ex rationalibus motivis: quia in dubiis tutior pars est eligenda, ne periculo peccandi se exponat.

123. Sequitur 3. Optime conciliari inter se in materia justitiæ illas tres regulas Juris. *In dubio melior est conditio possidentis. In dubiis tutior pars est eligenda. In dubio favendum est reo, potius quam actori.* Quia possessor est pars tutior, habet enim in sui favore duplex jus, & plus requiritur ad auferendum aliquid ab aliquo, quam ad relinquendum habenti. Rursus possessor in omni materia dubia est reus: nam reus dicitur a re, quæ petitur ab eo, & ipse numquam petit, sed ab ipso postulat actor: ergo favendum est possessori, sicut & reo. Similiter eadem ratione reus est pars tutior: quoniam dum versatur dubium inter reum, & actorem, tutius est absolvere, quam damnare dubium reum: ex duobus enim malis necessariis, tutius est minus eligere. Minus autem malum est reum absolvere, quam innocentem damnare.

124. Nota, quod Confessarius audiens poenitentem se accusare operatum esse cum dubio, quia cum non haberet rationes certas, & evidentes ad dubium deponendum, se gessit in operatione cum aliqua perplexitate, non statim judicet illum operatum esse cum dubio, ideoque peccasse; Nam si poenitens timorata sit conscientiæ, reperiet non operatum fuisse sine aliqua prudenti ratione, quæ sufficit, ut dicatur operationem non fuisse factam cum dubio, licet cum aliqua perplexitate, aut anxietate. Et ne ulterius conscientia erronea peccet, instruat illum, esse longe diversum operari cum aliqua perplexitate, ac cum dubio.

#### PUNCTUM IV.

##### De Conscientia scrupulosa.

125. Inq. 1. Quid sit Scrupulus? R. Est quedam levis suspicio peccati, ex levis orta fundamentis. Per quam defi-

nitionem distinguitur scrupulus a Conscientia recta, quia hæc est judicium rectum; ab erronea, quæ similiter est judicium, esto ab errore ortum; a dubia, quia hæc est suspensio intellectus, & denique ab opinione, quia hæc oritur ex gravibus fundamentis. Constat etiam ex hac definitione scrupulum consistere principaliter in actu intellectus, & secundario in actu voluntatis: cum ex parte intellectus importet illam suspicionem, seu falsam existimationem: & ex parte voluntatis timorem cum animi anxietate. Unde a S. Antonio dicitur Scrupulus; *Vacillatio quedam cum formidine.* Derivatur Scrupulus a scrupulo, seu lapillo, quia in calceolatens, molestiam infert. Ex quo usurpatur scrupulus pro molestia, & anxietate animi, orta ex levi fundamentis.

126. Inq. 2. Quæ sit causa scrupulorum? R. Varias esse causas hujus molestiæ infirmitatis, ex quibus aliæ intrinsecæ, aliæ vero sunt extrinsecæ, & hæc ultimæ possunt esse naturales, vel supernaturales, & præcipuè sunt sequentes. Prima est imbecillitas capitis, quam homines apprehensivi patiuntur. 2. Defectus iudicii discretivi. 3. Melancholia, aut complexio terrestris ad timorem propensa, qualis est in naturis humidis, ac frigidis. 4. Nimius amor proprius, quo vellent in omnibus commode, & secure procedere. 5. Acumen ingenii in inve-niendis rationibus dubitandi, & ignorantia dissolvendi. 6. Occulta superbia, ob quam aliquis non vult se submittere iudicio, & directioni alterius. 7. Pusillanimitas, & defectio animi, ob quam quis non audet timores contemnere. Omnes hæc sunt causæ intrinsecæ, & naturales. 8. Suggestio Dæmonis, ut bonum spirituale hominis impediatur. 9. Consortium cum scrupulosis, vel lectio alicujus libri ab incauto, & minus intelligenti. 10. Denique voluntas Dei, qui sæpe permittit animas scrupulis vexari, vel ad puniendam peccata, præsertim superbiam, vel ad instruendum hominem, ut sciat compati, & dirigere alios afflictos: vel ad excutiendam tepiditatem, vel ut se caveant a periculis, vel denique ad majus hominis meritum.

127. Inq. 3. Quibus remediis Conscien-

scientia scrupulosa medenda sit? Pro responsione notandum est, Confessarium debere cognoscere ægritudinem poenitentis, priusquam applicet remedia: cognoscet autem spiritualis Medicus poenitentem hac laborare infirmitate, quando non in uno, aut altero casu transeuntet habet scrupulum, sed cum viderit eum sæpius existimare sine fundamento esse peccatum, quod re vera non est, & hoc sive in una materia, sive in pluribus. Unde non debet Confessarius judicare statim prima, ac secunda vice poenitentem esse scrupulosum, quia licet quandoque sit anxius, forte est justa, & rationabilis anxietas.

128. Notare etiam debet Confessor, duo esse genera horum infirmorum; quidam enim torquentur tam circa futura, quam præterita, & presentia; alii vero præcise circa præterita, nihil curantes de futuris: quapropter his mederi difficillimum est. His suppositis:

129. R. Quod præcipuum scrupulorum remedium est obedientia humilis prompta, & cæca erga Confessarium spiritua-lem, & doctum: Sanitas enim hujus infirmitatis maxime sita est in obedientia, sine illa enim impossibilis est hujus morbi sanatio. Eligat igitur scrupulosus Virum doctum, & pium, cui prompte, & humiliter in omnibus obediat, & huic unice fidem præstet, non cursitet alios, quia experientia teste multiplicitas Medicinæ, & Medicorum infirmos occidit.

130. Secundum remedium est humilitas, & contigatio devotæ orationis. 3. Exercitium virtutum, præsertim fidei, spei, & caritatis. 4. Sollicita cautio a peccatis, etiam venialibus. 5. Fugere otium, ita ut Dæmon semper scrupulosum occupatum inveniat. 6. Si radix scrupulorum sit melancholia, aut humor villosus, moderatum, & honestum exquirat solatium, aut medicamentum. D. Antonia. p. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10.

#### PUNCTUM II.

##### De Confessario Scrupuloso.

131. Inq. 1. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum scrupulosis? R. Quod munitus charitate, & patientia si-

miles ægros suaviter, & benigne pertractet, ne afflictio afflictionem addat; non tamen permittat sæpius de scrupulis alloqui, neque ipsum importune adire, & molestissimis interrogationibus vexare. Si videat poenitentem vehementer scrupulis cruciari, jubeat, ut nihil reputet esse mortale, nisi quod manifeste, & certo mortale, ipsi videatur: immo interdum potest esse aliquis adeo scrupulosus, ut nisi errare possit commississe mortale, non debeat credere, nec confiteri. Advertat etiam ut non curet satisfacere omnibus scrupulis, sed plures contemnat, aut irrideat, breviterque aliquibus respondeat: nullam tamen reddat rationem, cur ita jubeat, aut judicet, ne scrupulosi, ipsas rationes examinando, novis anxietatibus se implicent. Observet insuper, ne plures Confessiones generales eis permittat, sed una vel alia rite peracta, severe eisdem vetet, de præteritis in posterum cogitare. Ad summum ter, aut quater audiat aliquod præterita vitæ peccatum, deinde ostium eterne vitæ omnino claudat, silentiumque perpetuum imponat.

132. Si Poenitens scrupulis vexantur circa doloris defectum, Confessarius suadeat illis certum esse, habuisse sufficientem dolorem: quia præsumptio pro illo srat: cum ex una parte non ignorent ad validam Confessionem esse necessarium dolorem supernaturalem, & ex alia peccata exhorrescant, & divina præcepta observare studeant. Si vero angantur de consensu suggestionum, vel de spiritu blasphemæ, præcipiat deponere prædictæ dubium, vel scrupulum, despiciendo vanas apprehensiones, quia ut in plurimum similis anxietas, & dubitatio in eis est imprudens, & inanis. Unde si forte esset verus consensus, excusabitur per accidens a Confessione, ob conscientie scrupulosæ privilegium, & maxime si fiat prudenter Confessarii consilio.

133. Quando poenitens cruciatur scrupulis circa divinum officium, dubitans, an prætermiserit hos, vel illos Psalmos, tunc Confessarius debet illi suadere, non teneri, nec debere illos repetere: quia sufficiens causa est deponendi scrupulum, incepisse, immo & finisse talem horam, aut officium, & idem dicendum est, quando



do dubitat de necessaria attentione, & intentione ad debite recitandum, seu rite celebrandum, aut consecrandum. Si autem dubium esset, non de parte hōrū Canonica incepta, sed de tota hora, tunc videndum est, an sapius tali dubio laboret, an non? Si primum, ut in aliis scrupulis habendus est; si secundum, tenebitur utique recitare, nisi aliqua rationabili causa deponat dubium. Est tamen aliquando efficac, & salubre remedium, ut Confessarius præcipiat scrupulos recitare flexis genibus horas canonicas, de quibus dabant. Hoc remedium experientia teste, pluribus meriti compertum est: quia cum scrupulosi non semel amore sui inordinato abundant, laborem effugiant, & timore hujus medicinæ Confessorem adire metuant, & ita per seipsos curant scrupulis satisfacere. Unde evenit, quod brevi tempore, in consilio Confessore, illis occurrant, & denique ab eorum cruciatu liberentur. S. Antonia. ibi.

134. Inq. 2. Quomodo medendum erit illis, qui circa præterita valde scrupulis vexantur, de peccatis vero in posterum vitandis parum curant? R. Quod illi potius laxi, quam scrupulosi habendi sunt. Unde eis difficile remedium adhiberi valet: quare ipsis prudens Confessarius suadeat, ut frequenter ad Confessionem devote accedant, ac majori diligentia, & fervore munia, & officia sui status adimpleant: Nihilominus si revera scrupulosi circa præteritorum confessionem inveniuntur, idem dicendum est de eis, ac de aliis scrupulosi. Videlicet, quod post integram Confessionem, sufficienti diligentia factam, non teneantur repetere, aut confiteri nisi illa peccata, quæ certo sciunt in Confessione manifestata non fuisse?

135. Pro Coronide hujus Puncti observa: Confessionem generalem non omnibus convenire; quibusdam enim est necessaria, quibusdam utilis, quibusdam vero nociva. Est necessaria illis, qui in occasione proxima, aut in inveterata consuetudine peccandi diu vixerunt, vel aliqua peccata gravia in præteritis confessionibus scienter tacerunt, vel ex defectu doloris, aut propositi, aliove ex capite nullas Confessiones egerunt. Est uti-

lis illis, qui pro majori puritate animæ, aut securitate conscientie, seu humilitate, vel quando ordines recipiunt, aut ad Religionem, vel ad alium statum transeunt, omnia ante acta vitæ peccata sacramento subicere volunt. Est denique nociva scrupulosi, qui novis Confessionibus novos scrupulos gignant, ac nutriunt.

## PUNCTUM VI.

## An liceat agere contra Conscientiam scrupulosam.

136. Inq. 1. An quando scrupulus dicitur aliquid esse peccatum, liceat agere contra illum, adhuc eo pungente, & perseverante? R. affirm. Quia scrupulus non tollit determinatum assensum de honestate operationis: ergo eo non deposito, potest licite operari. Prob. ant. scrupulus consistit in eo v. g. quod aliquis determinate judicans officium divinum persolvise, suspicatur ex levibus iudiciis, an integre, vel an recta intentione illud recitaverit: ergo scrupulus non tollit assensum determinatum de honestate actionis.

137. Notari tamen oportet, quod scrupulus converti solet in iudicium erroneum determinatum: & tunc, si invincibile fuerit, poterit licite, & tenebitur cum illo operari, ut supra diximus de Conscientia erronea invincibili; si vero vincibile fuerit, erit illicitum, eo non deposito, operari; & de hoc iudicio erroneo intelligendus est textus in *Cap. Per tuas de Simonia*: Ubi quidam ordinatus ab Episcopo, qui dicebatur Simoniacus, permittitur ministrare in suscepto ordine, non tamen ad aliud promoveri, donec deponat errorem ex scrupulo ortum. Idem dicendum est, si scrupulus transeat in dubium; tunc enim deponi debet, ut quis licite operetur: quo sensu intelligendus est textus in *Cap. Inquisitioni de sententia Excomm.* Ubi uxori habenti scrupulum de valore Matrimonii conceditur exigere debitum conjugale, explosa conscientia levi, aut scrupulosa.

138. Inq. 2. An non solum sit licitum agere contra scrupulos, sed etiam aliquando obligatorium? R. affirm. Quia

scrup.

scrupulos fovere, solet afferre notabile damnum non solum corporis, sed etiam animæ: ergo prob. ant. quia scrupulosus ob vehementiam suarum inanum apprehensionum spiritus vitales atterit, cæcæbrum debilitat, periculo amentie se exponit, ad proprium munus obeundum se inutilem reddit, & denique a Sacramentis suscipiendis se retrahit; ergo exponitur gravi periculo corporis, & animæ: ergo ob vitanda talia incommoda debet audacter operari contra suos scrupulos. Credimus tamen plerumque excusandos esse a culpa scrupulosos, qui abigere scrupulos non nimis curant: quia impetus hujus spiritualis ægrotudinis adeo vehementis esse solet, ut iudicium obnubilet, & libertatem adimere aliquibus videatur: & ideo cum illis agendum est, tanquam cum gravi morbo laborantibus. Ad pru-

dentiam ergo Directoris pertinet uti sale, oleo, & vino, prout qualitas morbi, & infirmi expostulaverit.

139. Advertas autem, quod licet scrupuli afferant aliquando prædicta incommoda, afferunt etiam plures utilitates, inter quas 1. est: juvare ad emundandam Conscientiam. 2. Facere hominem cautum, & sollicitum in obsequio Dei. 3. Reddere illum humilem, & timoratum. Denique deserviunt ad magnum meritum, & ad purganda peccata. Et aliquando assumuntur a Deo, ut media ad consequendam æternam salutem illius, qui angores, & cruciatus scrupulorum patitur. Ut patet in quadam Moniali cruciata hac continua infirmitate, pro cuius solatio, & levamine precabatur alia, cui respondit Dominus: *Desine, filia, hoc enim convenit illi, ut salvetur.*

## TRACTATUS TERTIUS

## DE LEGIBUS.

Post notitiam regulæ intrinsicæ Moralitatis, viam facimus ad explorandam ejusdem regulam extrinsecam, nempe legem. Est enim lex suprema justitiæ regula, æquitatis norma, agendique mensura: qua ratione actus humani gaudent bonitate, aut malitia per conformitatem, vel deformitatem ad legem, de qua est præsens sermo.

## CAUPT I.

## De Essentia, &amp; Conditionibus legis.

Compertum est omnibus dari pro reata creaturæ directione aliquam legem: sive ita appelletur a legendo, sive ab eligendo, sive proprius a ligando, quia ligat ad sui observantiam. Unde supposita existentia, ad ejus essentiam declarandam progredimur cum D. Thom. 1. 2. q. 90. & seq.

## PUNCTUM I.

## Natura, &amp; Conditiones legis.

1. Inq. 1. Quid sit lex? R. Est Ordinatio.

ratio rationis ad bonum commune ab eo qui Reipublicæ curam gerit promulgata. Dicitur: *Ordinatio rationis*: lex enim in recto consistit in actu intellectus, qui dicitur imperium, connotando voluntatem imperantis, ut docet D. Thomas loc. cit. Dicitur deinde *in commune bonum ordinata*: per quod differt a præcepto, quod ad bonum particulare ordinari potest; non ita lex, quæ semper ad bonum commune ordinatur. Differt etiam per illas particulas lex a consilio, aut petitione, quæ ab bonum particulare ordinari valent, cum tamen lex commune bonum semper intendat. Et etiam, quia petitio, & Consilium possunt ab inferiori, & æquali exhiberi; lex vero non nisi a Superiori Communitatis, ut patet ex sequenti particula.

2. *Ab eo, qui reipublicæ curam gerit*: hoc est, qui gaudet jurisdictione in communitatem politicam; non epim ad statuendam legem sufficit potestas dominativa, sive æconomica, ut est illa, quam habet Pater in filios, Dominus in servos, & maritus in uxorem, sed requiritur potestas publica respectu Communitatis politice, ut est Urbs, Provincia, aut Regnum.